



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia
Lovaniensi I. V. D. Et Antecessoris Commentarius In Jus
Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas
Gregorii IX. P. M.**

Zoesius, Hendrik

Coloniae Agrippinae, 1691

Titulus XVII. De Sequestratione possessionum & fructuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62329](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62329)

TITULUS XVII.

De Sequestratione possessionum & fructuum.

SUMMARIUM.

- 1. Sequestratio regulariter prohibita.
- 2. Sequester quis dicatur.
- 3. Res sequestrata possessio an transeat in sequestrum?

EX eo, quod lite pendente nihil sit innovandum, sequitur, sequestrationem possessionis & fructuum regulariter esse inhibitam, *l. unica C. De prohib. sequestrat. pec.* Continet enim innovationem, & est instar spoliationis; cum sit rei litigiosa à possessore separatio, & in manus tertiæ securitatis ergo, depositio, *l. licet. 17. D. Depositi.* Quod accipiendum non de voluntaria sequestratione; a enim cum fiat partium consensu, nihil vitii habet sed de necessaria & judiciali, quæ fit auctoritate iudicis, parte invitata ideoque odiosa & prohibita, *d. l. un.* Nisi aliud causa suaserit, veluti si dissipet possessor fructus, *c. 2. & 3. h. 2.* si rem mobilem possidens de fuga sit suspectus, aut rei translatione, cuius difficultas futura sit recuperatio, aliisve casibus, de quibus *Gloss. fin. d. c. 2. h. 1.* * Sequester dicitur, apud quem res controversa deponitur; ita dicitur, quod ejus fidem utraque pars vel iudex sequatur, *l. Sequester 110. D. De verb. signif.*

Quæsitum est, An possessio rei sequestrata transeat in sequestrum? R. Id aliquos admittere in ea, quæ est voluntaria, non etiam in necessaria; ex ratione, quod actus voluntarius sit potentior necessario. Verius tamen neutri transire possessionem, nisi hoc sit actum, *l. Interesse 39. D. De acquir. possess.* secundum quam accipienda *d. l. licet D. depositi.* Facit ratio, quod nunquam transeat possessio per traditionem sine titulo, quæ alias censetur potius facta custodiæ causâ, *l. Propriè D. eod.* Non est autem sequestratio titulus sufficiens. Facit etiam, quod non sit verisimile possessorem commodum possessionis velle amittere. Vid. *Zibarel ad Clem. 1. nu. 25. h. 1. Cora. 3. Miscell. c. 2. nu. 11. & seqq. & dicta ad tit. D. Depositi nu. 55.* An præbendas conferat sequester, dicitur infra, *tit. De præbendis.*

TITULUS XVIII.

De Confessis.

SUMMARIUM.

- 1. 8. confessi habentur pro veritate, & confessus pro iudicato.
- 2. Confessus de se non interrogandus de socio.
- 3. Confessio debet fieri præsentem ad versario, & ex certa causa.
- 4. Debet esse certa & absque errore.
- 5. Faciendus super re principali.
- 6. Confessio percuratoris an præjudicet domino.
- 7. Confessio an revocari possit?
- 9. Ad confessionem an requiratur sententia?
- 10. Confessio in criminalibus quid operetur.
- 11. Confessio extrajudicialis qualiter probet?
- 12. Confessio liberatoria quid operetur, parte absente.
- 13. Confessio extrajudicialis geminata an plene probet?

Definitio, quæ circa causam incidere soleat, venit ad principalem intentionem libello contentam: quæ probanda ab actore, nisi per rei confessionem (de qua ideo præmittitur) relevetur ab onere probandi.

Confessio alia est judicialis, quæ fit in iudicio, alia Extrajudicialis. Illius effectus est, quod confessi habeantur pro veritate, quoad ipsum confitentem, eumque faciat pro iudicato haberi, *c. 2. h. 1. l. 1. C. eod.* quasi damnatum sua sententia. *l. 1. 3. D. eod.* cum nemo præsumatur contra se temerè confiteri, Dico, quoad confitentem: quia alii per alium non præjudicatur confitendo, *l. Non debet, 74. D. De reg. juris;* nisi causam à confitente habeat, quia videretur causa confitentem concernere, ² Quo modo socius criminis, de se confessus, super aliorum conscientis non est interrogandus, nisi in crimine excepto, uti Majestatis, *c. 1. h. 2.* Nec confessus audiendus super aliis, quod res ea periculo non vacet, ut patet *ex l. fin. Cod. De accusat.* cum posset aliquis alienam salutem in dubium deducere, de sua desperans. Si tamen socius infamiâ laboret, ei injungenda purgatio, *d. c. 1. in fine.* Et hoc quoad judicialem factam coram iudice com-

TITU.